

tenues, postea augete morbo aliquando crassitiam acquirunt, & eam mediocrem iam in vigore, A
 maximam in declinatione; quanto enim magis procedit concoctio, tanto magis excernuntur humo-
 res, qui cum urina misceri debent. Iam uero ruente morbo ad finem declinationis, & properante ad
 salutem, tenues fieri incipiunt, quando deficit humor qui cum urina miscbatur, crassitudinisque
 erat causa. Eodem pacto cum cibus adhuc crudus est in uentriculo & hepate, tenues minguntur uri-
 na; crassiores uero cum perfecta est concoctio. Quod si quis insistente iam tempore edendi, rursus
 mingat uacuata iam bile, inspiciet urinam attenuatam esse. Ergo urinae quae semper tenues manent
 in morbis, causam habent perpetuam cruditatem; ratione imbecillitatis naturae, uel ob ineptitudi-
 nem materiae quae concoctionem non admittit, qua frustrata, nihil secerni potest excrementi, quod
 cum urina mixtum crassitudinem faciat. Contingit etiam aliquando concoctionem quidem fieri per
 generationem materiae quae cum urina misceri potest; sed quia alio conuertitur, quam ad urinae uias,
 ideo tenues minguntur urinae, ut in ijs contingit qui phrenitide laborant, uel podagra, aut alio morbo
 qui uim habet alliciendi humores ad partem affectam, & quae minguntur tenues ob frustratam con- B
 coctionem in febribus; lethalem morbum ostendunt in febribus acutis, si diu tales perseverent: ne-
 que enim natura tam uehementem calorem & putredinem sustinere absque dissolutione animalis po-
 test: in febribus uero intermittentibus, longitudinem morbi praenunciant. Quae uero crassae min-
 guntur, & tales perseverant, progrediente morbo, ostendunt quidem mixtionem humorum & excre-
 mentorum, sed non eorum qui gignuntur ex materiae morbosa concoctione. Non enim in princi-
 pio morbi concoctiones fieri possunt. Quod si nullum habuerint concoctionis principium, illam ne-
 queunt indicare. Fiunt ergo tales urinae expellente natura humores a quibus grauatur, & cum perseue-
 rant tales urinae, naturam ab illis opprimi: atque eodem modo in morbis qui perimendi uim habent,
 mortem denunciant. Ergo signa cruditatis in his morbis non solum morbi longitudinem, sed etiam mor-
 tem (si diu durent) significant. Quae uero tenues ab initio minguntur, postea crassescunt, rursus at-
 nuantur; causa est quod ab initio omnia sunt cruda, & nihil excrementi excernatur, a quo possit cras- C
 situdo fieri; procedente autem concoctione aliquid excernitur, quod crassitudinis est causa. Abso-
 luta autem concoctione & expulsionem excrementorum, atque ita deficiente excremento quod misce-
 tur, iterum tenues fiunt urinae: unde uidemus in quartanis in principio tenues emitti urinas, in aug-
 mento & statu paulo crassiores: iam uero declinante morbo, nigerrimas & crassissimas mingi, quo
 tempore expurgatur melancholicus humor cum urina: quo quidem vacuato, & properante homi-
 ne ad salutem, tenuiores & mediocres iam (ut sanitas postulat) excernuntur. Contingit tamen nonnun-
 quam tenues reddi, postquam crasse fuerunt, delato humore crasso ad aliquam partem ubi abscessum facit.
 Quae uero crassae primum minguntur, postea extenuantur, rursusque crassae fiunt, & postea tenues;
 causam habent quod ab initio natura non posset uniuersam materiam vincere, unde humorum ex-
 cretiones fiebant ante coctionem: vacuata autem portio illius materiae, aggreditur postea ipsam
 coctionem, & antequam concoxerit aliquid, tenues emittuntur urinae, postea uero & procedit co-
 ctio: ita crassescunt urinae, & postea tandem tenues redeunt, finita scilicet expurgatione. Porro con-
 tingit urinas ab initio crassas mingi, ut in biliosis & sanguineis febribus apparet, & crassas perseuera- D
 re usque ad crism vel declinationem, quod fit non quod natura vincatur a multitudine, nec possit
 concoquere, sed quod bilis facile concoquatur, & ab initio possit ex illa aliquid, uel etiam plurimum
 misceri, quod urinas crassas reddat: quae crassities perseverat procedente coctione, donec plus ex-
 cernatur a corpore quam resultet ex coctione, quo tempore tenues fiunt. Contingit quoque in pra-
 dictis morbis crassas & rubras primis diebus urinas emitti, deinde in augmento extenuari. Quod
 tunc fit non solum, quod bilis facile concoquatur & ex coctione separetur, sed etiam quod plurimum
 sine coctione excernatur, quo absumpto, & eo manente diutaxat cum urina, quod ex concoctione
 resultat, non mirum si tenuiores in augmento & statu quam in principio mingantur urinae. Haec suf-
 ficiant de causis tenuitatis & crassitudinis urinae, ex quibus mediocritatis consistentiae causae patent.

De causis qualitatum quae sunt in Urinis. Cap. VI.

MNES qualitates quae in urinis reperiuntur, ut causas immediatas attingamus, quas
 alij praetermittunt temere, interim dum toti versantur in remotis causis recensendis.
 Proueniunt autem uel ab alteratione sola, uel ab humorum permixtione aut absentia,
 ex omnibus istis inter se coniunctis, & ita uere esse in colore, odore, sapore & alijs
 qualitatibus in ipsa tractatione patebit.

De Urinarum colore. Cap. VII.

URINARUM colores, qui ducuntur ex cibis, potionibus, colliquatione eorum quae sunt in
 corpore, & in aetate, & in diuerso sexu, & ob animi corporisque passionibus & alia huiusmo-
 di, nihil plus docent, quam quae vulgus nouit. Docendae enim sunt immediatae causae,
 quibus